

triam reportet, suosque recipiat: tum, ubi ulteriora lustrarit, in reditu, ad Congi regem adeat ipsemet, eumque omni ratione ad Christum allicere studeat. Nec mora: tempestatem idoneam nactus Canus, peregrinos, Congum relatos, cum obsidibus bona fide permutat: ac, ne temporibus excluderetur, continuato in praesentia cursu, leucas ultra id regnum ducentas provehitur: & cujus dixi formae columnas duas duobus ponit locis: quarum alteri a S. Augustino (cujus in diem natalem appulsus incidit) alteri ab ipsemet lapide nomen inditum est. Inde Congum revectus, mira gentis gratulatione ad Regem ipse cum amplis muneribus & egregio comitatu contendit. Rex, quod mira quaedam de Joannis munificentia & comitate a suis audierat, summa cum honoris & mutuae benevolentiae significatione Canum advenientem accepit. Exinde pedetentim Canus, quemadmodum in mandatis habebat, ex occasione sermonem de rebus divinis inferre, ac Regem adhortari, ut, spretis inanibus Diis, unum Deum caeli terraeque conditorem agnosceret. Atque hoc loco vel maxime patuit ad convertendos animos, quanto plus in perspecta caritate, quam in verborum apparatu momenti sit. Militaris homo erat Canus, & ferro potius quam litteris innutritus: ac nihilominus rudi ejus oratione Rex, videlicet officiis nostrorum ante captus, ad studium verae pietatis adeo exarsit, ut aures ad Canum semper sitientes afferret, ac multa ipsemet ultro de religione quotidie quaereret. Quinimo in eundem animi sensum familiares quoque suos, & regni proceres, aperte monendo hortandoque pertrahere nitebatur. Accedebat ad haec, internus aurae caelestis afflatus, qui mentes Aethiopum caecas ad rectum salutis iter occultis motibus provehebat. Jamque agro ad Evangelii semen accipiendum subacto, Cani reversionis tempus instabat. Quem Rex tametsi advocatum sibi in Lusitania videbat fore; tamen pro instituta consuetudine perinvitus dimisit: deditque proficiscenti comites pueros nobiles, praefecto Zacuta, uno ex iis, qui nuper in Lusitania fuerant. huic etiam atque etiam mandat primum uti suo nomine Joanni, pro immortalibus ejus in se promeritis, gratias agat ingentes; deinde ut ab eodem suppliciter petat, ipsum oratorem & pueros caelesti lavacro expiatos, & Christianis praeeptionibus probe institutos, cum piis aliquot summi DEI sacerdotibus Congum remittere ne gravetur: vehementer optare se, cum liberis & propinquis, & regno si fieri possit universo, Christiana sacra suscipere. Addit legationi munera, magnam eboris vim, vestemque permultam (haec Aethiopum gaza est) e palmarum foliis admodum scite atque artificiose contextam. Ea vero legatione Joannes, ut erat egregie pius, maximo gaudio cumulatus est, cum tantam pandi portam Evangelio cerneret. Ergo, simul atque maturum est visum, festo ornatu & solenni pompa Joannes & Eleonora uxor Zacutam; pueros alios alii principes viri vetere Ecclesiae instituto lustralibus aquis gratulabundi admovere: & Zacutae quidem, Joannis; caeteris vero, sponsoris cuique sui nomen impositum. Baptismo peracto, confestim idoneis traditi praeeptoribus, totum biennium summa cum diligentia Christianis moribus & mysteriis imbuuntur. Ac tum denique perhonorifica legatio in Congum decreta cum regalibus donis, & sacrorum apparatu magnifico: neque neophyti modo ad suos remissi, verum etiam e sanctissima Dominicana familia viri tres probatae virtutis atque doctrinae delecti, qui apud eosdem Aethiopas & docendi & initiandi munere fungerentur, accessere ad hos, etiam architecti cum fabris ad templa vero DEO in illis regionibus

bus